

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

quæso boni consule, & testimonium qualecunque amici animi esse sinas. Bene in Christo vale. Jenæ, 17. Febr. 1573.

T. Joh. Wigandus.



CXXV.

S. P.

DE rebus vestris nos D. Jacobus Andream, hac transiens, edocuit, & sollicitudinem nostram partim confirmavit, partim etiam spem auxit, ut confidamus controversiam quamlibet odiosam, sine terminatum iri saltem tolerabili, si non qua vellemus. Plurimum huc faciet presbyterii sacer consensus; quo salvo etiam collapsi tempore suo restaurari poterunt. Pro hoc ipso non desino quotidie infirmis precibus meis Dominum interpellare. Est enim nobis, ut par est, Ecclesie vestrae incolumitas cordi ex animo. Si quid accidit interea, rogo perscribas. De filiis inermis, si quid accepisti, & Rostochiensis scholæ Ecclesieque statu. Novi apud nos nihil est. Helvetica expeditio hæcenus non procedit, forte quod rex Galliarum, suis confusus viribus, exoticas minus urget. Interea Turcas classe maxima restaurata, bellum instaurare infestissimum dicitur. Venetos transactionem spectare, ut Hispanus petatur, ut appareat, hunc hostem à Domino excitatum armatumque, ut sit flagellum furoris ipsius ad puniendum peccata, quæ nullis castigationibus sanari possunt. Cæterum qui has perfert, à Marchionissa, Ernesti defuncti vidua, ad rem missus est, ut pro ipso apud T. D. intercedam: quo si fieri queat, tua autoritate vel in Wilhelmitarum collegio locum habeat, aut apud sanctum Marcum elemosinafratur. Idque ad eum enixè à me postulavit, ut non potuerim negare officium, utcumque id molestum mihi fuerit. Cum non ignorem, quam frequentibus interpellationibus quotidie non tantum obruare; precor ergo, ne ægrè feras, quod facio alieno impulsu, pauper est prorsus juvenis, nec caret ingenio, facies ergo, quid poteris. Bene vale in Christo Jesu, D. & frater in Christo semper reverende, una cum uxore, liberis, Pappo, totaque familia, & symmictis fratribus. Quos meo, Cocci & Fieghni nomine reverenter amanterque salvos jube. Scripsi Basileæ, 20. Februarii, Anno 73.

R. A. 1.

10148

S. Sulcerus.

CXXVL